



12262

Foe

N^o 13

1645, 8

15

DISPUTATIO POLITICA
De
FOEDERIBUS,

Quam
Auxilio
D. T. O. M.

&

Permissu Amplissima Facultatis Philosophicae
MODERATORE

Viro Clarissimo & pereximio,

Dn. M. JOHANN-CHRISTFRIEDO
SAGITTARIO, Scholæ Senatoriæ, quæ Jenæ est, Re-
gore dignissimo, fautore & præceptore suo
honoratissimo,

Publica disquisitioni subjiciet


Herman Heinrich von Zerffen/

ad diem Octobr,

Horis Matutinis

In Auditorio Philosoph.

PRELO SENGWALDIANO & FREYSCHMIDIANO.
ANNO MDCXLV.



Anteloquium.

Recte & sapienter Philosophorum Antesignanus Aristoteles: Absq; amicis vivere, licet ca- 8. Eth. c. 1.
 tera bona omnia suppetere, eligeret nemo. Nam
 & divites & principatus potestatesq; habentes ma-
 ximè indigere amicis videntur. Quid enim pro-
 dest ejusmodi prosperitas, si beneficium tollatur,
 quod erga amicos præcipuè sit, & maximè lauda-
 tur? aut quomodo sine amicis custodiri, conservariq; possent? quanto
 enim amplior, tantò & periculosior est. Quibus, ultimis præci-
 puè, verbis ostendit vir omni major invidiâ, cur principa-
 tus potestatesq; inter se amicitias colant; nempe, non posse
 absq; ea prosperitatem eorum custodiri, aut conservari, ad-
 dens rationem: ὅσα γὰρ πλείων, ἄσβηστος ἐπιφάλαξ ἐστίν. c. quanto am-
 plior, tanto periculosior. Præclarè quoq; Amplissimus Casparus Fa- Polit. Lib.
 cius: Numa, regno potitus legitimè, urbem novam conditam vi Part. 1. Ar-
 & armis, jure legibusq; ac moribus de integro condere parat: qui se XXII.
 bus cum inter bella assuescere non posse videret Cives, Jani templo,
 tanquam belli sede clauso, omnium circa finitimorum Societate ac
 Fœderibus sibi jungit animos. Hac arte in primis iniitiis id omne
 supplevit, quod secundum necessitatem temporum ac rerum desiderari
 aliquando in Republ. posset. Præterquam enim quod naturâ homo
 est animal sociale, & consociationes necessitatibus vite sic exigen-
 tibus; tam sanguinis quàm affinitatis inter homines multa sunt artifi-
 sime; non minimus etiam Societatis est usus, ut jure gentium intro-
 ducta commercia & contractus humani celebrentur, quibus, plurimum
 operis & facultatibus hinc inde collatis, communicatio omnium re-
 rum possit institui. Maximum enim est vinculum Societatis utili-
 tatum communio, quâ sublatâ, commercia omnia cessabunt, nec ex
 copia inopia aliorum habebit subsidium, nec occurrent sibi solatia re-
 gionum, sivehacula tollantur de invio, ut de navibus in mari loqui-
 tur Cyprianus; & pelagus immeabile relinquatur. Quod quidem sum-
 mam habet rationem, cum Societas jus Fraternitatis in se contineat.



Cum autem materia de fœderibus digna sit, quæ ab homine liberali accuratè noscatur, DE O AUXILIATORE adjuti de eadem jam agemus. Si qui d' humanitùs passì fuerimus, eam in nos legem volumus d. c. t. am, quam erga alios nobis hætenus obseruatam, & imposterum observandam esse, ipsa humanitatis jura svadent, imo dicant.

CAPUT PRIMUM.

Jura Majestatis in tribus consistunt: *διάλυσις*: Fœderis Etymologia: in Romanorum vexillis sus interdum pingebatur: Fœderis æquivocatio: Definitio: Fœdu à Sponsione & pactione differt: Quinam Fœdera contrahere possint.

lib. IV. Polit.
c. 14.

§. 1. Rerum publicarum partes in tribus consistere dicit Aristoteles, quando scribit: *ἔσι δὲ τῶν τριῶν τέτων ἐν μὲν πὶ τὸ βεβλευμένον περὶ τῶν κοινῶν. Δεύτερον δὲ, τὸ περὶ τῆς ἀρχῆς -- Τρίτον δὲ, πὶ τῷ δικάζον. Κύριον δὲ ἐστὶ τὸ βεβλευμένον περὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης, καὶ συμμαχίας καὶ διαλύσεως.* i. e. interprete Leonhardo Aretino. *Harum trium partium una est, quæ versatur in publicis consiliis. Altera in Magistratibus. Tertia pars in judiciis consistit. Ea pars, quæ consulit, auctoritatem habet de bello & pace, de societate belli ineunda, & dissolvenda. Sic enim rectius forsan διάλυσις reddetur per dissolutionem, quàm per fœdus, ut Camerarius & Giphanius reddiderunt. Putant quidem propterea posse fœdus dici διάλυσις, quod fœdere inito controversiæ dissolvantur. Sed hoc Cl. Piccarto nimis ingeniosum videtur comment. in h. l.*

§. 2. Atq; ita ex mente Philosophi jus de societate belli ineunda vel dissolvenda, aut, ut aliàs loqui amamus, jus fœderum considerationis est Politicæ. Quem sequuntur quotquot ex eruditorum numero de rebus scripserunt Politicis. Videri possunt, si cui lubido est, Ampliss. & Consultiss. Dn. Cammannus de Jur. Majestatis disp. v. §. 79. & seqq. & Arnif. de Jur. Maj. l. 1. cap. 4.

l. Rhetor. ad
Alex. cap. 3.

§. 3. Quando autem fœdera sint contrahenda, docet idem Aristoteles: *Socii verò pro eætemporum conditione sunt faciendi, cum aliqui suis viribus infirmi sunt, aut bellum aliquod videatur impendere, aut eò cum aliquibus ineunda societas, quod bello quosdam à se defecturos putent.*

§. 4

§. 4. Ut sic nulla ferè indigeat refutatione quod Cancellarius, Vir ille magni nominis, Thom. Morus scribit: *Utopie gentes (i. e. Prudentiores) fœdera cum nulla gente feriunt: cum natura consortium fœderis vite sit habendum, & homines melius benevolentia, quàm pactis; animo, quàm verbis jungantur. Neq; qui naturam negligat, verba curare appareat.* Neg; qui. II, Utop.

§. IV. Non erimus verò in fœderum Autore primo inquirendo sollicitiores. Vide Polyd. Virgil. de rerum Inventor. l. 2. cap. XV. p. m. 160.

§. V. Neq; in evolvenda vocis Latinæ Etymologia operam adhibebimus nimiam. Fœdus pleriq; dictum ex eovolunt, quòd in paciscendo victima fœdè & crudeliter necabantur, sive sanguine fœdabantur. Unde Virgil. *casâ jungebant fœdera porcâ.* Aencid. VIII. Solemne enim erat apud plerasq; gentes in fœderibus cadere victimas. Sic Livius: *Porcum saxo silice percussit.* l. 1. n. 75.

Virgil. — *Purâq; in veste sacerdos* Aencid. XII. *Setigera fœtum suis, intonsamq; bidentem* §. 170. *attulit.*

Sic refert Antonius Verderius in de Imaginibus Deorum, qui p. 271. ab Antiquis colebantur; Romanos suam in vexillis expressum tulisse; nam, ait, absq; hac belua fœdus aut pax non conciliabatur; in quo hujusmodi ritum adhibebant. Cum ex utraq; parte pacis, aut fœderis legati unâ convenissent; Fœdatis post concepta verba & pœta recitata, silice porcam feriebat atq; interficiebat, Jovem orans, ut ita percuteret eum, qui fœderis, aut pacis conditiones minus servasset.

§. VI. Alii à fide illud derivari posse putant, quòd fides in fœderibus interponatur. Unde & fœdus ab Ennio, teste Varrone, fidus, dictum.

§. VII. Homonymiam vocis quod attinet. Notat fœdus interdum conjugium, vel amicitiam inter sanguine junctos. l. 1. n. 8. Hinc nota locutio: Fœdus lecti illibatam, Fœdus tori; Fœdus l. 3. od. conjugale. Livius: *ibi Latinum apud Penates Deos domesticum publico adjunxisse fœdus, filia Aeneæ in matrimonium data.* XXIV.

Horatius — — metuens alterius viri
certo fœdere castitas.

A 3.

Inter-

Interdum significat certam quandam conditionem, quodcumque promissum, aut stipulationem. Quo significatu foedus vocatur pactum illud populi cum Rege de bene administrando regno. Vid. Reusner. Hort. Historic. Polit. coron. secundâ Flor. IV.

*Orat. pro
Corn. Balbo* Hoc ferè sensu dicit Cicero: *Contra foedus, id est, contra P. R. religionem & fidem fecisse dicitur* (Pompejus). Et Plaut. *Pan. Nunc ab Hero ad Herum meum majorem venio, foedus commemoratum.*

*l. V. cap. 6. de
Republ.*

Interdum verò tale notat pactum publicum, de quo h. l. § XIX. Bodinus definit: *Foedus est publica populorum. Principumve inter ipsos conventio, in perpetuum concepta.* Sed hæc definitio est à suo angustior. Dantur enim foedera quoque temporanea, per; in perpetuum, sic excluduntur.

l. IX.

§ IX. Livio foedus est, quod fit jussu summæ potestatis, & in quibus ipse populus obstringitur iræ Divinæ, sin minus stetur dictis. Quæ definitio arridet quoque Hugoni Grotio in aureo libello de Jure Bell. & Pacis lib. II. cap. 15.

pag. m. 297.

§ X. Ab aliis ita definitur: *Foedus est pactum publicum, quò diversæ Respubl. salvo Majestatis jure sese mutuo solemniter obligant ad quedam sibi mutuo præstanda.*

*l. V. cap. 6.
lib. Rhet. ad
Alexandr.
cap. 3.
l. IX. n. 11.*

§ XI. Genus est *Pactum publicum*; quibus verbis foedus à Sponsione & pactione differre dicit Bodinus de Republ. qui videtur. *Foedera*, ait Aristoteles, *& eorum ordines* (dispositiones) *neesse est publicis conventionibus fieri.* Livius de Samnitium & Romanorum ad Furculas Caudinas rebus transactis ita scribit: *Coss. profecti ad Pontium in colloquium, cum de foedere victor agitaret, negarunt injussu populi foedus fieri posse, nec sine Fecialibus, ceremoniæque aliâ solenni.* Itaque non ut vulgò credunt, Claudiusque etiam scribit, *foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est.* Quid enim aut Sponsoribus in foedere opus esset, aut obsidibus, ubi precatone res transigitur; per quem populum fiat, quò minus legibus dictis stetur, ut eum ita feriat, quem a modum à Fecialibus porcus feriat. Sponderunt Coss. legati, *Questores, Tribuni militum, nominatque omnium, qui sponderunt, extant: Ubi si ex foedere acta res esset, præterquam duorum Fecialium non exstarent, & propter necessariam foederis dilationem obsides etiam DC equitum imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur.* Hæc Livius, accuratè pacis & Sponsionis

tionis discrimen ostendens. Et quia sponsio, non fœdus, erat, rectè Posthumius l. c. dicit *Sponsione, qua injussu Pop. Rom. facta est, non teneri Pop. Rom.* Hanc autem Romanorum fuisse captiunculam, rectè negat Clapmar. de Arcan. Rerumpubl. l. i. Cap. XX, p. 34.

§ XII. Reliqua verba in § 10. subjectum, & finem exprimit, differentiam absolunt. Per verba: *Diversa Respubl.*, innuitur; privatos, & qui sunt privatorum loco, fœdera non posse licitè contrahere. Vide Amplissimi & Consultissimi Dn. Cammanni, Reipbl. Brunsvicensis Syndici Senioris meritissimi, Patroni nostri magni, tract: de Jur. Majest: §. 84. disp. V. Sed penes quem aut quos est summa potestas; penes eum, aut eos, quoq; hoc jus summæ est potestatis, nempe, in Regno penes Regem: in Aristocratia penes Optimates; in Politia, penes populum; in mixta Republ. penes eum, aut eos, penes quem, aut quos, hoc fœderum jus esse debere, fuit concessum. An autem Imperii Romano - Germanici Principes & status sine consensu Imperator. fœdeta inire possint, res est altioris indaginis. Adiri possunt ex Politicis Besoldus l. 2. c. IV, de jure fœder: §. 9. ^{pag. m. 737.} Ex ICTIS laudatus Dn. Cammannus §. 86. & seq. Per; *salvo Majestatis jure* indicatur: non minui Majestatem, si fœdera contrahantur, & inter contrahentes primas unus teneat. Vide, si Juber, Cl. Arnif: de jur. Majest. l. i. cap. IV. ^{pag. m. 56. 57.}

§. XIII. Porro; *mutua ista obligatio*, thes. 10. addita, ^{seqq.} subinfert: definitionem fœderis primariò, seu secundum prius, fœderi æquali; secundariò autem, seu secundum posterius, inæquali convenire. Illud, *solemniter*, indicat hîc ritus quosdam esse adhibendos. Vide infra §. 47. & seqq. Finis deniq; fœderum ostenditur per verba; *ad quædam mutuò præstanda*. Qui quoniam, pro ratione circumstantiarum, variat, generaliori voce *quædam* fuit exprimendus. Potest enim fœdus iniri de Pace, de Religione, de finibus tuendis, aliisque, quæ plerumq; solent exprimi expressis conditionibus & legibus, perspicuisq; verbis, ut, quatenus se obstrictos profiteri debeant partes contrahentes, certò sciant.

CA.

CAPUT SECUNDUM.

Fœdus æquale: unde sic dicatur: tessera. inæquale: temporaneum seu Personale; perpetuum seu reale: Juramenta quid præstent in Fœderibus: Monita quædam politica: Fides data non violanda. Fœdifragorum pœnæ.

l. XXXIV. n. 135. §. XIV. Definitione jure suo excipit divisio. Livius tria recenset fœderum genera, non quidem ex sua, ut multi putant, sed Menippi, Legati Antiochi, sententia: *Est, ait Menippus, tria genera fœderum, quibus inter se paciscerentur civitates, Regesq;: Unum, cum bello victis dicerentur leges. Ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quæ ex iis habere victos, quibus mulctari eos velit, ipsius jus atq; arbitrium esse. Alterum, cum pares bello æquo fœdere in pacem atq; amicitiam venirent. Tum enim repeti reddiq; per conventionem res: & si quarum turbata bello possessio sit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriusq; commodo componi. Tertium esse genus, cum qui hostes nunquam fuerint ad amicitiam sociali fœdere jungendam inter se coeant. Eos neq; dicere neq; accipere leges. Id enim victoris & victi esse.* Hæc lib. c. Livius.

cap. XV. l. 2. p. m. 299.

§. XV. Quid de hac fœderum divisione sentiat Cl. Hugo Grotius, exponit ipse: *Menippus, ait, Regis Antiochi ad Romanos Legatus, referente Livio, magis ex usu suo, quam ex præscripto artis ita divisit, ut diceret tria esse Fœderum genera &c.* Cl. Politicorum vestigiis insistentes, dicimus: aliud esse æquale, aliud inæquale: aliud temporaneum aliud, perpetuum.

§. XVI. *Æquale seu æquum est, describente Cl. Rein-kingk. tr. de Regim. secul. & Eccles. l. 2. class. 3. c. 3. §. 26. quod æquis constituitur conditionibus, & ab utraq; parte æqualitatem habet; & ex his, qui ita fœderati sunt, unus altero non est superior.* Vid. Liv. lib. VIII. n. 10. & seqq. Hoc fœdus, cum Aristotele possumus appellare φίλων ἢ ἐν ἰσότητι, e. amicitiam in æqualitate, qualis alias est inter fratres, cives, & amicos quosdam.

Aeneid. XI. g. 321.

§. XVII. Tale fœdus intelligit Turnus apud Virgilium: *Fœderis æquas*

Dicamus leges, sociosq; in regna vocemus.

Et

Et idem Poëta : *paribus se legibus ambo*
Invieta gentes aeterna in fœdera mittent.

Hoc fœdus æquum à Romanis petiit Antiochus per Legatos,
Menippum & Hegesianacem, Livio; Darius ab Alexandro,
Curtio; testibus.

B. 1.
Aencid. XI.
v. 190.
lib. XXXIV.
n. 135. lib. IV.

§. XVIII. Quidam, inter quos Besold. Polit. l. 2. c. 6.
§. 20. putant tale fœdus iniri ferè inter Respubl. bonis & viri-
bus æquales; atq; hinc æquale dici. Quod sicut non negatur, fœ-
dus æquale inter Resp. bonis & viribus æquales iniri posse, &
iniri posse; ita non immeritò dubitatur, annon rectius æquale
dicatur, quod ex utraq; parte pactiones & conditiones æquales
soleant iniri, seu, ut loquar cum Cl. Arnis. l. 1. de Jur. Majest. c. 4.
pari jure societas stabiliatur.

§. XIX. Fœdera æqualia fiunt, notante Grotio l. c.
aut *Pacis* aut *Societatis* causa. *Pacis* causa, quæ de restituendis
captivis, rebus captis, & ad securitatem spectantibus, solent
conveniri. Tale pacis fœdus, ni fallor, pepigit Abimelech
cum Abrahamo: *jura, inquit, per Deum, ne noceas mihi &*
posteris meis, stirpiq; mee: sed juxta misericordiam, quam feci tibi,
facies mihi, & terra, in qua versatus es advena. Dixitq; Abra-
ham, ego jurabo.

Genes. XXI.
v. 23.

§. XX. *Societatis* causa quæ fiunt, aut pertinent ad *com-*
mercia, *διὰ τὰς ἀλλοτρίους, καὶ τὴν χρῆσιν τὴν πρὸς ἀλλήλους*, ut loquitur Ari-
stoteles i. e. *propter commercia, ac propter utilitatem mutuam.* Hoc
fœdus convenit ferè cum ea amicitia, s. *Societate*, quæ apud
Philosophum vocatur *φιλία καὶ τὸ χρῆσιμον*, *amicitia secundum*
utile. Tale commerciorum fœdus fuit Salomoni cum Hiro-
mo, Tyrriorum Rege; Tale est hodieque inter Polonos & Tar-
taros, qui olim Scythæ dicebantur.

3. Polit. c. 5.

8. Eth. c. ult.

§. XXI. Aut spectant ad defensionem, quæ ad mutua
præstanda auxilia in euntur, sive, ut loquitur Aristoteles: *συμ-*
μαχίας ἐνεκεν, ὅπως ὑπὸ μηδενὸς ἀδικῶνται, i. e. *bellicæ societatis gratia, ne*
à quoquam injuriâ afficiantur. Tale fuit illud Romanorum &
Iudæorum, l. 1. Maccab. c. 8. vers. 22. & seqq.

3. Polit. c. 9

§. XXII. Aut tandem respiciunt commercia, & de-
fensionem simul, de quibus Aristoteles: *sunt illis* (Thuscis &

B

Carthagi-

Carthaginiensibus) *fœdera circa res importandas, & pœna* (ref. seræ), *ne injuriâ afficiantur, & scriptura circa mutuam bellerum societatem.* Obiter notandum *σμβολα* hîc ab Interpp. communiter reddi; *pœna*. Rectius, reddi posse putat Cl. Piccartus, *tessera*. Tesseris olim veteres delectatos fuisse in hospitiiis legendis, in liberalitate exercenda; demonstrari posset ex Hartungi Decur. l. c. 8. §. 39. Brod. Miscell. l. 3. c. 12. Canteri Nov. Lect. l. V. c. XXI. In fœderibus autem adhibitas fuisse, mihi nondum observatum, nec Auctores, à Piccarto citati, de fœderum tesseris ullam faciunt mentionem, ut inspicienti eosdem patebit.

Plin. 622.

§. XXIII. Fœdus tale est civitatum Anseaticarum, institutum circa Annum Christi c. l. CCC. LXX mum, ut refert Cl. Cluverius Epitom. Histor. de Caralo IV. Quamvis non firmescius, quosdam ad A. C. c. l. c. ccum; alios. ad ejus seculi annum LXX mum referre. Vide Amplif. Arum. super Aur. Bull. discurs. Acad. 6. p. 259.

Orat. pro
Corn. Balbo

§. XXIV. Inæquale est, *quod inæqualibus, iug, conditionibus, & promissionibus concipitur; quod velit una pars alterius conservare Majestatem, seu, ut Tacitus loquitur, Imperii reverentiam.* Hoc inæquale fœdus Proculus lib. 8. Epist. ita circumloquitur: *sive fœdere comprehensum est, ut is populus alterius populi Majestatem comiter conservaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur, alterum populum superiorem esse: Non ut intelligatur, alterum non esse liberum; & quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiam si neg, auctoritate, neg, dignitate, neque (viri boni) nobis (præsunt) sic eos, qui Majestatem conservare debent, liberos esse intelligendum est.* Tale fœdus Gaditanis fuit cum P. R. teste Cicer. Adjunctum illud etiam est, quod non est in omnibus fœderibus: *Majestatem populi Romani comiter conservent. Id habet hanc vim, ut sit ille in fœdere inferior. Primum verbi genus hoc conservandi, quo magis in legibus, quàm in fœderibus uti solemus, imperantis est, non precantis. Deinde, cum alterius populi Majestas conservari jubetur, de altero filetur: certè ille populus, in superiori conditione, causaq, ponitur, cujus Majestas fœderis sanctione defenditur.* Hæc Cicero.

§. XXV. Quamvis autem promittens superiori det sic fidem;

fidem; tamen, quantum ad hoc, manet liber & sui juris. vid. Grot. l. 1. de J. B. c. 3. §. 21. & seqq. Besold. Polit. l. 2. c. 6. §. 23. Interdum non fit cum Imperii imminutione, ut se vel transitoria præstiturum, ex. gr. certum soluturum stipendium; mœnia diruturum; loca quædam relicta; obsides, naves, daturum promittat; vel manentia, ut se observaturum dicat alterius Imperii majestatem, magis tamen ex reverentia, quàm ex obsequio.

§. XXVI. Interdum fit etiam cum Imperii imminutione, quando parti inæquali certæ præscribuntur leges, quas in jussu partis alterius transgredi illa non potest. Tale fuit foedus secundum Carthaginiensium, qui in jussu populi Romani nemini bellum facere audebant. Et hoc parum differre videtur à foedere, quod aliàs vocant dedititium. Quod omnium periculosissimū judicat Bodinus. Magis enim in fidem, quàm in foedus veniunt, & à subditis parū diffidere videntur. Sic enim scribit de Campanis Livius, qui se sponte Romanis dediderant: *Aliam esse conditionem eorum, qui non foedere, sed per dedititionem, in fidem venissent.* Formula dedititionis apud Livium hæc est, & recitatur à Faliscis: *sub ditione vestra sumus. Mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei nostræ, nec vos Imperii vestri, pœnitebit.* Et legatus Campanorum ad Romanos: *quicquid, ut Livius refert, habuerimus, quicquid ipsi fuerimus, vestrum id omne existimabimus.* Vobis arabitur ager Campanus: *Vobis Capua urbs frequentabitur, conditorum, parentum, Deorum immortalium numero nobis eritis. Nulla colonia vestra erit, que nos obsequio erga vos fideq; superet.* Et ibidem: *Quod vos pro salute nostra priores feceritis, id nos pro imperio vestro & gloria semper faciemus.*

§. XXVII. Ætolis quoq; cum Romanis idem intercessisse foedus, leges, seu condiciones, loquuntur, quas, recitat Livius: *Imperium Majestatemq; populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo. Ne quem exercitum, qui adversus socios, amicosq; eorum ducetur, per fines suos transire sinito, neve ulla ope juvato. Hostes eosdem habeto, quos P. R. armisq; in eos fertis, bellumq; pariter gerito. Perfugas, fugitivos, captivosq; reddito Romanis, sociisq;*

præterquam si qui capti cum domos redissent, iterum capti sunt; aut si qui eo tempore ex iis capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana Æoli essent. Aliorum qui comparebant, intra dies centum Coryæorum Magistratibus sine dolo malo tradantur. Qui non comparebunt, quando quisq; eorum primus inventus fuerit, reddatur. Obsides XL. arbitrato Cos. Romanis dato: ne minores XII. annorum, neu majores XL. obses ne esto, prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis, qui ante obses fuerit apud Romanos &c.

p. 17.

§ XXVIII. De hoc fœdere ita loquitur Bodinus l. c. Liberum quidem Imperium Æolis reliquerunt; sed iis conditionibus, ut paulo minùs, quàm Romano Imperio subditi viderentur. Hac autem verba fœderis; Majestatem Romanorum conservato, iniquum fœdus esse, nec legibus a quis contractum, declarant. Inæquale fœdus vocat Bodinus h. l. iniquum, quod & eodem fecit capite pag. 505. Verùm non omne inæquale est iniquum: Nam, in distribuendis præmiis, quando miles gregarius tantum non accipit, quantum Dux aut Imp. est quædam inæqualitas, nulla autem iniquitas. Hoc autem inæquale fœdus, accedit ad naturam amicitia seu societatis, quæ vocatur Aristoteli amicitia κατ' ὑπεροχὴν, qualis aliàs est inter Deum & homines; Regem & subditos; Dominum & servum; maritum & uxorem.

3. Eih. c. ult.

§ XXIX. Aliud porro fœdus est *temporaneum*, quod ad constitutum & expressum tantum tempus, aut quamdiu contrahentes vixerint, est contractum. Dicitur aliàs *Personale*. Tale cum populi Latinis Tarquinius Priscus iniisse, Turnus Herdonius contendebat, propterea, quod eo cautum non esset, ut ad ejus posteros transfiret. Vide Dionys. Halicarnass. l. IV.

§ XXX. Aliud est *perpetuum seu reale*, quod tamdiu durat, quamdiu gentis & Reipubl. nomen est. In hoc sociorum aut confœderatorum veniunt nomine, non tantum qui sunt tempore fœderis, sed & futuri. Vid. Grot. l. 2. c. 16. §. 13. Tale fuit fœdus Romanorum cum Judæis 1. Maccab. c. 8. Hoc fœdus aliàs ab Hæbræis Num. 18, 19. 2. Paral. 15, 5. Salis fœdus appellatur. Bodinus putat l. V. cap. ult. propterea sic dici, quod nihil eorum, quæ ex Elementis sunt concreta, sale fit incorruptius. Ut eodem sensu sacra litera statuam salis appellant, non quæ ex sale

pag. 962,

com.



concreverit, ut quidam valde in sulsi putant, sed quæ sempiterna sit futura.

§ XXXI. Temporaneum autem seu personale à perpetuo discernere, interdum difficile est. Non enim videtur statim illud fœdus personale esse nominandum, quod cum certa quadam persona est contractum. Nam plerumq; persona pacto inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum est factum, ut loquitur Hugo Grotius de jure Belli & Pacis l. II, c. 16. §. 16.

§ XXXII. Quare, ut clarius hæc intelligantur, ex laudato Autore discrimen inter dicta fœdera notandum. Si, ait, cum Pop. libero actum est, dubium non est, quin quod ei promittitur, sui natura reale sit, quia subiectum est res permanens. 2. Si adjectum fœderi, ut perpetuum sit, aut factum in bonum regni, aut cum ipso & successoribus, aut ad tempus definitum, jam satis apparebit, reale esse. Tale fuisse videtur fœdus Romanorum cum Philippo, Macedonum Rege, quod cum Perseus, ejus filius ad se pertinere negaret, bellum eo nomine est exortum. 3. Quod si pares sint in utrumq; conjectura, supererit, ut favorabilia credantur realia, odiosa personalia.

§ XXXIII. Utrum autem sit præferendum, sententiarum est divortium; Bodinus dicit: Nihil in consociandis principibus ac populis perniciosius, quam ut perpetua sive aterna sint fœdera, cavere. Ei Besol. Polit. l. c. § 38. se opponit, putans: hanc rem potius ex circumstantiis esse dijudicandam; maximeq; in popularibus & Optimatum Imperiis, sempiternas societates æquissimis legibus coiri posse. Hoc tamen cauto, ut ea sæpius renoventur, ne temporis diuturnitate amicitie refrigerent. Quæ tamen ipse Besold. ex Bodini lib. V. cap. 6. hausit. Non malè quidam dicere videtur: fœdera pacis aterna; belli temporanea esse debere. Amicitias enim immortales, inimicitias mortales esse convenire. Quæ gnome, observante Erasmo, Adag. Chil. IVtæ. cent, Vtâ, occurrit apud Livium quoq; lib. X, de libello Macedonico & Asiatico.

§ XXXIV. Juramenta in fœderibus fuisse jurata, lo-

quuntur divinæ & humanæ literæ. Sic Abrahamus juravit Abimelecho; primores ex Israëlitis Gibeonitis. Ex secularibus Scriptoribus infra vide testimonia § 47, & 48.

§ XXXV. Sed, an juramentum rem promissam sic confirmet, ut quod absq; eo promissum, servari possit aut non, merito dubitatur; In ipsa promissione potius satis est efficaciam. Juramentum enim non auget obligationem; sed addit tantum religionis vinculum, ut respondet Arnib. lib. 1. de jure Majest. c. 6. Vid. Besold. Polit. l. 2. c. 6. §. 33. & Rosin. Antiqq. Rom. l. VIII. ex XII. Tabb. *Ue juris jurandi ad fidem astringendam præcipua vis esset.*

§ XXXVI. Nunc monita quædam sunt observanda, quorum primum: *Infœderibus cavendum, ne per ea ledatur Divina Justitia.* Nam

— Numine læso

Iratoq; Deo, nec profunt pæcta, nec arces.

Hinc fœdera defensionis, & societatis bellicæ, cum infideli contracta, malo conclusa esse exitu, Historicorum demonstrant monumenta. Rarè enim apud infideles fides invenitur.

§ XXXVII. Secundum: *Fœderis conditiones sint æqua & honesta.* Vid. Bodin. l. V. c. 6.

§ XXXVIII. Tertium: *Fœdus contracturus justissimos eligat, mone*

l. Rethor A. bitant.

lex. cap. ult.

§ XXXIX. Primum facilè patet. Qui enim fidei malè servatæ edidere specimina, eadem excipient & dimittent fœderatos perfidiâ, quâ alios exceptos & dimissos fuisse, re ipsâ demonstrarunt. Nec secundum probare difficile est. Qui enim imbellium Societates ambit, quærit cum qua gente cadat; & in caducum inclinat parietem, cujus ruina sese quoq; tangere potest. Hinc errârunt Sidicini, quod adversus Samnites auxilium implorarunt Campanorum; qui ob domesticum luxum imbelles erant, & ad illos juvandos inepti. Major quoq; Campanorum error, qui imbelles se esse non intelligebant, & putabant se Sidicinos defendere posse. Errorem utrumque Livius his perstringit verbis: *Campani magis nomen ad præsidium socio-*
rum,

lib. VII, n.

74.

erum, quàm vires cum attulissent, fluentes luxu ab duratis usu armorum in Sidicino pulsi agro.

§ XL. An autem miseri, afflicti, aut valdè periclitantes semper excludendi, dubitare licet contra seculi nostri decus Lipsium, libr. IV. Polit. cap. 9. n. 47. & Keckerm. c. 24. Firmius enim est vinculum, quod necit commune periculum, nihilq; est Reipubl. honestius, quàm maximè egentibus auxilium præstare, & in periculo versantibus succurrere.

§ XLI. Fortunam tamen suam in consilio habeat, cum deliberat de aliena, ne, dum socios quærit nimis potentes, non tam in fœdus, quàm deditioem venisse videatur. Multi enim (ut Annii, Latinorum Prætoris, verba mea faciam) *subumbra fœderis* (æqui) *servitutem pati coguntur* Liv. l. VIII. n. 12. Tertiū quoq; est in aprico. Auxilium enim, quo nobis possent subvenire, nimia locorum distantia impeditur. Quod experti sunt Saguntini Hispanentes, qui priusquam Romani, quod longis locorum intervallis essent disjuncti, iis auxilia mitterent, ab Hannibale sunt oppressi. Vide, si lubet, Livium l. XXI. n. 14. & seqq.

§ XLII. Quartum: *fœdera sanctè sunt servanda, quamvis cum infideli, aut heretico essent contracta.* Neq; ulla dispensatio humana facere potest, ut quod sic promiseris, non tenearis præstare. Rectè hic Bodinus l. V. cap. ult. *Qui Pontificem Romanum, non se ipsum modò, sed etiam alios, jurisjurandi religione solve* P. 2330 *re posse tradunt; eos ego summa impietate obligari judico. Quanquã ab ipsis Pontificii juris interpp. satis refelluntur.* Vide ibidem, plura notatu dignissima.

§ XLIII. Sed Machiavellus ad Rerum publ. perniciem natus, scribere non veretur: *principi pejerare ac fallere sine ulla dubitatione licere*, c. 8. De principi. Instit. *Eum leonis & vulpis ingenium conjunctim imitari*, cap. 18. *& fidem servare non debet, si damno ei sit & occasiones propter quas eam dedit, sint sublata.* Discurs. Polit. c. 42 l. 3. p. m. 529. & cap. 18. l. c. *fidem esse Principi damnosam; sed opus tamen esse, ut ejus speciem quandam præ se ferat.* c. 18. l. c. *Eundem ingenium versatile & arte usq; factum in perfidiam habere debere, ut re ipsa talem se præstet, quoties expedierit.*

§ XLIV. Verùm, generosior erat mens Attilii Reguli, qui
ad

ad supplicia exquisitissima maluit redire, quàm Carthaginien-
 bus, Romanorum hostibus, fidem fallere datam, putantis: id
 esse contra Majestatem & gravitatem Populi Romani. Vid. Va-
 ler. Maxim. l. 1. c. 1. & lib. 2. c. 4. Ita de eo Cicero lib. 1. Offic.
*Eriam si quid singuli temporibus adducti, hosti promiserint, & in eo
 ipso fides servanda. Ut primo Punico bello Regulus, captus à Poenis,
 cum de captivis commutandis Romam missus esset, jurassetq; se redi-
 turum: primum ut venit, captivos reddendos in Senatu non censuit:
 Deinde cum retineretur à propinquis, & ab amicis, ad supplicium re-
 dire maluit, quàm fidem hosti datam fallere. Nec inferior fuit
 Caroli V. animus, qui à Ludovico Palatino Rheni interroga-
 tus, cur Luthero fidem servaret, & non violaret; respondit:
 Fidem rerum promissarum, & si toto mundo exularet, tamen apud
 Imperatorem consistere oportere; sicut refert Petrus Gregorius
 Tolosan. lib. 8. d. Republ. c. 8. circa finem.*

§. XLV. Debitas potius fœdisfragii pœnas dedere,
 quotquot jure jurando publice, velut monetâ publicâ, abusi
 fuerunt. In LL XII. Tabb. insculptum refertur. *Per juri pœna di-
 vina, Exitium: humana, dedecus violati juris jurandi esto.* Et rectè
 Aristoteles ad Alexandr. ἐδέξαι ἂν βέλους ἐπισηκῆν, φοβόμενος τὴν πικρὴν
 τῶν θῆων πικρίαν, καὶ τὴν πικρὴν τοῖς ἀνθρώποις ἀσχύνῃ i. e. *Nemo pejerare
 vellet, cum divini supplicii metu, tum de decoris apud homines.* Josuâ &
 Gibeonitas fœdus iniisse, sacræ docent paginæ: quas autem pœ-
 nas dederint Saulis posterij ejusdem rupti, eadem demonstrant.
 Cedro digna sunt, quæ Livius refert l. XXX, num. 110. de Lega-
 tis Carthaginensium, Romæ pacem petentium: *cum flecti, ait,
 misericordiâ Patres appareret, Senatorum unum, infestum perfidia
 Carthaginensium succlamasse ferunt: per quos Deos fœdus iduri
 essent, cum eos, per quos ante idem esset, fefellissent? Per eosdem,
 inquit Aldrubal, qui tam infesti sunt fœdera violantibus.* Sic
 Uladislauus Polonus, Hungariæ Rex, ut refert celeberrimus se-
 culi nostri Historicus, Cluverius, Johannis Hunniadis auspicio
 rem strenue adversus Turcas gesserat; Georgium Despotam
 restituerat in integrum; Amurathem felicibus præliis eò rede-
 gerat, ut pacem ipsius arbitrio faceret; Hungaris Serviam re-
 linqui-

1. Rhetor 6.
18.

2. Sam. 21 §.
1. & seqq.

Epit. Histor.
circa A. C.
1446. p. m.
658.

linqueret Moldaviamq; Juratis utriusq; decennii induciis,
 Amurathes in Ciliciam profectus Caramannum principem pu-
 nire cogitabat, Pontum Bythyniamq; incurfantem. Dum il-
 le ibi bellum trahit, Eugenius per Julianum Legatum Car-
 dinalem instigat Vlatislauum, ut violato jure jurando, quod mi-
 nus è republ. præstitisset, novum Turcis bellum faciat. Mo-
 rem gerit Uladislauus, in Mysiam progreditur. Amurathes
 composita facile Asiã, præpropere in Europam revertitur,
 classeq; Italica, quæ Hellesponti aut Bosphori transitu eum ar-
 cere debuisset, metu aut perfidia quiescente, Genuensi etiam
 adjuvante, transfretat. Itaq; inopinatus ad Varnam oppidum
 supervenit Vladislao, jamq; inclinatã suorum acie (XXX. enim
 Turcarum millia ceciderant) Deum, ut fama est, Christiano-
 rum in ultionem perfidiæ implorans, ingenti eos clade sternit,
 Rege etiam ipso & Juliano Cardinale interfectis. Præclare Bo-
 dinus l. v. c. ult. certe perjurium atheismo detestabilius est: quia non
 tanta est eorum, qui Deos omnes averfantur impietas, quanta eorum,
 qui & esse Deos, & rebus humanis prospicere consitentur, juris
 tamen jurandi simulatione Numen irridere non dubitant. Ista verò
 impietas cum animi abjecti turpitudine semper conjuncta est. Quo-
 niam is, qui sciens perjurium admittit, hostem quidem metuere; De-
 um verò despiciatui habere se declarat. Præstaret aut Deum immorta-
 lem (mortalem, forsã vult dicere) esse, aut eum, quem Deum
 esse putant, sua fraudis testem nunquam appellare, sed se ipsos tantum;
 ut Richarbus Anglus, Pictonum Comes in beneficio Rupellanis civi-
 bus concesso, ad extremum hac formula usus est, TESTE MEIPSO.
 Sic L. Papius, cum Samnitibus manum jam jã conferturus, mi-
 lites inter alia hac gravi alloquitur oratione: Deos immortales
 adesse propter toties petita fœdera, toties rupta: tum si qua conjectura
 mentis divina sit, nulli unquam exercitui fuisse infestiores, quàm qui
 nefando sacromista hominum pecudumq; cade respersus, ancipiti De-
 ūm iræ devotus, hinc fœderum cum Romanis iñtorum testes Deos,
 hinc juris jurandi adversus fœdera suscepti execrationes horrens,
 in vitus juraverit, oderit sacramentum, uno tempore Deos, cives, hostes
 metuat.

C §. XLVI. Quia:

Liv. l. xi. n.
120.

§. XLVI. Quintum præceptum: sociorum multitudine nullus adeò confidat, ut ideò negotiis in justis & perniciosis implicetur. Benè Valer. Max. lib. 6. cap. ult. Et profecto caduca hæc & fragilia, puerilibusq; consentanea sunt crepundiis, quæ vires atq; opes humana vocantur; affluunt subitò, repentiè dilabuntur; nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt; sed incertissimo flatu fortunæ huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improvise decursu destitutos profundo cladum miserabiliter immergunt. Quomodo Israëlitæ, viribus suis fidentes, infelici prælio bis cum Benjaminis tribu fuerint congressi, docet cap. XX. Jud.

CAPUT TERTIUM.

Ritus quidam in foederū percussione observati: Juramentum: fulmine foedera sancire quid? Formula foederis incundi: Fetialis: sagmina: privus lapis silex: Jupiter Lapis: ubi, & quando, foedera inita: causæ solutionis foederum initorum.

§. XLVII. Ritibus deniq; certis foedera fuisse contracta, ex Historicis notum est T. Veturius Calvinus & Sp. Posthumius COSS. apud Livium negant foedus fieri posse sine Fetialibus, ceremoniæq; aliæ solemnæ. Vid. Hug. Grot. l. 2. c. 15. n. 3. Inter istos autem præcipuus apud plerasq; gentes fuit juris iurandi observatio & præstatio. Sic primores Israëlitarum dicuntur jurasse Gibeonitis, Jos. IX. v. 16.

§. XLVIII. Jurantes apud Romanos Jovem invocabant vindicem. Virgil. Æneid. XII. v. 200.

Audiat hæc genitor, qui foedera fulmine sancit.

Foedera fulmine sancire quid sit, à viris eruditis diu fuit quaesitum. Servius adh. l. apud Majores, inquit, ara non incendebatur, sed igne divinū precib; eliciebāt, qui incēdebat victimas. Alii, inter quos Turnebus, dictū dicūt ex opinione veterū, qui perjuros fulmine de caelo ab Jove tangi putabant. Sancit igitur, ait Cl. Turneb. l. c. foedera fulmine, qui fulmine vindicat id, quod contra formulam & religionem juris iurandi commissum est. Nam animadversio in fontes oris functio & conservatio est. Id ita esse ex Luciano docere possumus.

Adversar. l. XXV. c. 9.

sumus, cuius hæc verba sunt: ἄριστοι γὰρ ἐπιόρκειν πρὸς ἐπιχθονίων, ἢ ὡλὸν
 Ἐρυαλίδα φοβηθεῖν ἄν, ἢ πῆν Ἐπαιδαμάτορος κεραυνὴ φλόγας i. e. Itaq; eo-
 rum, qui pejerare aggrediuntur, citius quispiam extinctum
 ellychnion formidaverit, quàm fulminis istius omnium domi-
 toris flammam. Aristophanes de fulmine: τῆτο γὰρ δὴ φανερῶς ὁ
 Ζεὺς ἴεισ' ἐπὶ τὰς ἐπιόρκους i. e. hoc enim planè Juppiter in perjuros mit-
 tit. Hæc, quæ dicta, Livius confirmat cum Cos. vocē subsecuta pa-
 trum indignatio esset, proditur memoria, adversus crebram implo-
 rationem Deum, quos testes fœderum sæpius invocabant Consules, vo-
 cem Annii spernentis numina Jovis Romani auditam Certè cum
 commotus ira se ab vestibulo templi citato gradu proriperet, lapsus per
 gradus, capite graviter offenso, impadus imo ita est saxo, ut sopire-
 tur. Exanimatum auctores quoniam non omnes sunt, mihi quoq; in
 incerto relictum sit: sicut inter fœderum ruptorum testationem ingen-
 ti fragore cœli procellam effusam. Nam Ἐ vera esse Ἐ aptè ad re-
 presentandam iram Deum fœta possunt. l. VIII, n. 12.

§. XLIX. Mactationes pecudum accedebant, ut Deo
 aut etiam Dīs immolarentur. Homerus Menelaum, fœde-
 rum inter Græcos & Trojanos ritus procurantem, ita introducit:

Afferte autem agnos, alterum album, alteram autem nigram *Iliad. γ*
 Terraq; Ἐ Soli: at Jovinos offeremus alium. *6. 107.*

Vinum quoq; adhibitum fuisse docet Homerus:
 Juppiter augustiss. maxime, & immortales Dii cæteri
 Utri priores contra fœdera noxam intulerint,
 Sic ipsorum cerebrum in terram fluat, sicut hoc vinum,
 ipsorum & liberorum.

§. L. Formulæ certis, & verbis conceptis, rem in hoc
 negotio transactam fuisse, Svetonius docet in Claudiocap. xxv.
 cum Regibus, inquit, fœdus in foro icit casa porca, ac Veterum Fe-
 tialium præfatione adhibita. Præfatio apud Romanos, Livio
 referente, de fœdere inter Tullum Hostilium & Albanos sic se
 habebat: Jubes ne me Rex cum Patre patrato Populi Albani fœdus
 ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco: Rex ait puram
 tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit; postea Re-
 gem ita rogavit: Rex, facisne me tu Regium nuntium Pop. Romani
 Quiritium, vasa comitesq; meos? Rex respondit: quod sine frau-
 de mea Populiq; Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M. Va-



lerius. Patrem patratum Sp. Fusum fecit, verbena caput capillo s^q
tangens; (pater Patratus ad jusjurandum, i. e. sancendum fit) fœ-
dus, multisq³ id verbis, qua longò effata carmine, non opera est refer-
re, peragit. Hæc Livius.

§ LI. Multa in Livio occurrunt ex Antiquitate expo-
nenda. Fetialis Græcè εἰρηνοφύλαξ, Polybio infra § 57. dicitur
πολιμνος τῶν ὅρκων, exiis erat, quibus vel intercedentibus, vel impro-
bātibus neq; militi, neq; Regi Romanorū, licebat arma movere.
In bello indicendo Fetialis & Pater patratus una & eadem persona
fuisse putatur. Conceptas enim à Collegio formulas, ritus &
ceremonias secundum antiquissima instituta recitabat, in quo
non exequabatur jus Regis, sed collegii. Dicebatur autem ex
Fetialium collegio unus Pater patratus, ad patrandum, id est, san-
ciendum jusjurandum, ut exponit Livius, seu ut jusjurandum
sanciret & conciperet.

l. 8. §. 1. D.
R. D.

§ LII. Sagmina fuerunt herba, ut dicit Marcianus, quas
legati P. R. ferre solebant, ne quis eos violaret: Sicut legati Græcorum
ferunt ea, quæ vocantur Cerycia. (κηρυκεία, id est, Caducei) Et Sex-
tus Pompejus de verborū significationibus lib. XXII: Pro verbe-
nis, inquit, sagmina accipit, quod ex loco sancto à Cos. Pratorëve, lega-
tis proficiscentibus ad foedus, bellumq³ indicendum, traderentur. Unde
illud Nævianum. Jus sacratum Jovis jurandum sagmine.

p. m. 227.

vid. Crinit. de honest. discipl. l. 7. c. 3
Plinius lib. XXII cap. 2. Sagmina in remediis publicis fuere,
& in sacris legationibusq³ verbena. Verbenarius autem sive Fetia-
lis, qui Patre patratum facere poterat, eligebatur à reliquis Fe-
tialibus, ut Dion. Halic. l. 2. Roman. Antiq. annotavit. Eorum
fuerunt XXIV, ut ex Varrone & Nonio observatum.

§ LIII. Herba graminis est verbena. Sic enim Plinius.
22. c. 2. Certè, inquit, utroq³ nomine (nō sagmina, & verbena) i-
dem significatur, hoc est græmen ex arce cum sua terrâ evulsum: ac
semper & legati cum ad hostes clarigatumq³ mitterentur, id est, res
raptas clarè repetitum, unus utiq³ Verbenarius vocabatur. Hæc Plini-
us. Verbena verò ista, quæ dicebatur hierabotane sive verba-
nacea, teste Histor. Natural. Scriptore Plinio l. XXV, cap. 9.
capi-

capiti imponeretur Patris patrati, quem Fetialis fecerat. Fetialis mentio fit in Inscriptioe quadam, Romæ reperta, in foro Trajani Anno 1555, mense Junio, quam Janus Gruterus in immensi laboris opus Inscriptio num retulit pag. cccc LVII m^a, & medicam manum atq; declarationem cum aliis infinitis expectat; quam promisit Vir Amplissimus Dn. D. Thomas Reinesius, Reipubl. Altenburgensis Physicus Ordinarius, æternitatis memoriam positurus, si desiderio eruditorum satisfecerit. Sed optandus Alexander, Ptolemæus aut Augustus quidam, qui magnificentia sua literas has fugitivas retrahat, ad easdemq; excolendas alios inflammet! Inscriptio ita se habet.

M. PONTIO. M. F. PUPL. ÆTIANO. LARTIO. SABINO. COS. PONTIFICI. SODALI. ANTONINIANO. VERIANO FETIALI. LEG. AUG. PR. PR. PROV. SYRIÆ &c.

§. LIV. Perlarum ritus ita describit Xenophon l. II. ἀναβασι
Interprete Romulo Amalæo: *Barbari priores jusjurandum conceperunt, bona fide agmen ducturos. Fœdus idum est, maciatis super scuto tauro, apro, lupo, ariete: in quorum sanguine enses Græci, hastas barbari intinxerunt* Dextras quoq; dedisse, idem eodem docet libro de Clearcho & Tissapherne ita scribens: *Hæc utrinq; jure jurando sancita sunt, dextra data vicissim. Autores fuere illinc Tissaphernes & Regis Uxoris frater: hinc Græcorum Duces & Centuriones.* Et paucis interjectis, dicit Clearchus ad Tissaphernem: *Novi fœdus inter nos idum, datasq; dexteras, neutram partem alteram la suram.*

§. LV. Quo ritu Medi & Lydi inter se fœdus inierint, aperit Herodotus lib. I. Ὁρμιαδὲ ποιέσεια τῶν τε Ἑθνεα τὰ πρὸς τὰ Ἑλληνας καὶ πρὸς τὰ τοιαῖα ἐπιὼν τὰς βραχίονας ἐπιθεμῶναι, ἐν τῇ ὁμοχρεσίῃ τὸ ἄμα ἀναλαί-
χουσι ἀλλήλων.

§. LVI. Leges seu fœderis conditiones recitabant, Jupiterq; invocabatur formula certâ cum Porci percussione, his ^{L. idius lib. n. 76.} verbis: *Audi, inquit, Fetialis, Jupiter, audi, Pater patrati populi Albani; audi tu populus Albanus, ut illa palam prima, postrema, ex illis tabulis, cerave recitata sunt, sine dolo malo, utiq; ea hic hodie rectissimè intellecta sunt: illis legibus: Populus Romanus prior non deficiet: si prior defexit, publico consilio, dolo malo, tu illo die Jupiter*

Lib. XXV.
num. 112.

pter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, & tantocius magis ferito, quanto magis pores, pollesq;. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Hæc Livius. Idem hæc reperit: Fetiales cum in Africam ad fœdus ferendum ire juberentur, ipsis postulanti- bus S. C. in hæc verba factum est: ut privos lapides silices, pri- vasq; verbenas secum ferrent; uti Prator Romanus his imperaret, ut fœdus ferirent. Illi Pratorem sagmina poscerent. Herba id genus ex arce sumtum dari Fetialibus solet.

Versil. I. I.
cap. IV.

§. LVII. Privi lapides quid sint, non adeò est notum. I. Gvil- elmus ad locum Pseud. Act. III. sc. v. 75. Item his discipulis pri- us custodes dabo. Non certius, inquit, vixisse Plautum, quàm eundem scripsisse, privos. idq; evincit ipsa orationis series. Privi vetustè, qui nobis singuli. Lucillius:

culicula accedunt priva centonibu' binis.

L. VIII. p. m.
785.

Hinc privilegia dicuntur leges privis id est, privatis seu singu- lis hominibus latæ. Vid. apud Rosin. Antiqq. Rom. legem XII. Tabb. expositam: Privilegia ne irrogant. vide plura exem- pla apud Jan. Guilh. Laurèb. Antiquario voce; privus. Lapis ergo pri- vus fuit Lapis ille, peculiari forlâ modo, cerem omniisq; certis, ad fœdus suo tempore peragendum destinatus. Magna verò refere- tur illi à me gratia, si ex antiquitate genuina, & teste locuplete fuero edoctus, hunc lapidem, quem Pater patratus projectu- rus esset, peculiari ritu fuisse vel antea, vel in ipso fœderis per- cutiendi actu quasi sanctificatum.

l. III. Histor

§. LVII. Jurabant in fœderibus Romani per lapidem. Un- de & Jupiter Lapis. Non possum quin Polybii verba adscribam, Interprete Nicolao Perotto: In primo fœdere jusjurandum ita factum accepimus. Primum Carthaginenses Deos patrios jurati sunt. Deinde Romani per lapidem secundum vetustissimū ritum, Mar- tis, Quiriniq; numinib; additis jusjurandū prestiterūt. Ritus verò la- pidis fuit hujus modi: Fetialis (τοις πατριος τοῦ γηίου) sumto in manibus lapi- de, postquã de fœdere inter partes cõvenerat, hæc verba dixit: Si recte ac sine dolo malo hoc fœdus, atq; hoc jusjurandum facio, Dii mihi cuncta felicia præstent. Sinaliter aut ago, aut cogito, cæteris omnibus salvis in propriis patriis, in propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulcris, solus

solus ego peream, ut hic lapis è manibus. meis decidit. Nec plu-
ra locutus, manu lapidem dejecit. Græca Polybii verba qui
legere desiderat, inveniet apud Cl. Barnab. Briffon. tr. auro
contra non caro de Formulis. l. IV. pag. 356.

§. LX. Postquam fœdere pleræq; Græciæ civitates con-
venerunt, sacrificio solemni, fœderibusq; percussis, Aristides
Atheniensium legatus, ardentem ferri massam in mare dejici-
ens, Deos omnes, Deasq; testatus: *Sic, inquit, repente pereant,
qui datam fidem sefellerint; ut igneam vim ab aqua extinctam vide-
mus*, ut refert Bodinus l. v. cap. Ult.

§. LX. Nec negligendum, has fœderum condiciones
æneis incisas fuisse tabellis. Testis locuples esse potest Poly-
bius l. 3. de fœdere inter Romanos & Carthaginienses. Hæc
cum ita sint & in hodiernum diem *tabulis æneis* inscripta con-
spiciantur in templo Capitolini. Jovis, ubi ab Aedilibus dili-
gentissimè custodiuntur. Pari modo legis l. ii. Maccab c. 8.
v. 22. fœdus Romanorum cum Judæis æneis inscriptum tabellis,
& missum Hierosolymam, ut esset apud eos ibi memoriale pacis
ac societatis.

§. LXII. Nulla autem vel infidelitas, vel religionis
diversitas causa est sufficiens eorum solvendorum. Cordatè ^{V. de Reg. c. 6.}
Bodinus: *Nescio, quomodo Patribus Concilii Constantiensis in men- P. 529.*
*tem venit, hæreticis omnem fidem abnegare. Cum Pontifex ipse Ma-
ximus quoties sacris initiatur, accipiat ab ipsis Judæis fidem, eosq; re-
ligionis suæ institutis summa cum libertate frui patiatur. Fœdus
cum Turca initum, sed ex hoc fundamento ruptum, quâ clade
fuerit insignitum, vide supra §. 45.*

§. LXIII Prima ergò causa est: *si pars altera fœderis
capita violaverit, altera potest à fœdere discedere.* Sic apud Thu ^{l. 1.}
cydidem: *soluti fœderis culpam sustinent, non qui deserti ad alios se
conferunt; sed qui jurati promiserant opem, re non præstant.* Sic
Philippi Legatis, Romam missis, hoc responsi datum est, Livio
referente; *bellum querere Regem, & si pergat, propediem inven-
turum. Dupliciter ab eo fœdus violatum, & quod sociis Pop. Rom.
injurias fecerit, bello armisq; lactaverit: & quod hostes auxiliis &
pecunia juverit. Et P. Scipionem rectè atq; ordine videri fecisse, &
facere*

l. IV. pag.
356.

facere, quod eos, qui arma contra P. Rom. ferentes capti sunt, hosti-
um numero in vinculis habeat. Et M. Aurelius è Republica facere,
gratumq; id Senatui esse, quod socios Pop. Rom. quando jure fœderis
non possit, armis tueatur. Hæc Livius l. XXX. num. 109.

§. LXIV. Altera fœderum solvendorum causa est, si
tempus præscriptum fuerit elapsum.

§. LV. Quærenti autem, an, si inter fœderatos convene-
rit, ut ne pax cum hostibus, nisi omnium sociorum consensu, ineatur, lice-
at uni parti vel ab armis discedere, aut cum hoste pacisci, solemnium
veterum formulâ respondendum puto, jam NON LIQUERE.

COROLLARIA.

I.

VTriq; partium confœderatus [cui] debeat [suc-
currere?

II.

Jus fœderum an ad majora Regalia (ut loquun-
tur quidam) referendum?

Ad Nobiliss. Dn. Respondentem.

Fœdere Virtuti qua sese jungit amico
atq; Arti, demum vera ea Nobilitas.
Nam quid imaginibus censeris & sanguine avorum
prodest, si virtus propria defuerit?
Virtutem generis splendori jungis & artem,
Zerriseni, ut verâ nobilitate cluas.

deproperab.

Philippus Horst P. P. Facult.
Phil. Senior & p. t.
Decanus.

Nobis

Debere quem tuæ Minervæ senseras,
Multis probas mentem evolare ad sidera
natam, jocos quæ, naufragamq; inanium
prospectet alta semitam mortalium.
Evax! bonum factum! probant cœptum Dii.
Quod verè honesti spirat acres flammulas,
& eruditionis explicat jubar:
Hanc esse quidni suspicer nectar tibi
& lac, & omni dulcius papavere?
Proh foedus ingens, atq; pactum mobile
Tecum tuæ Minervæ Amice Nobilis!
Votum damus, plausum movemus, sit diu
hoc foedus, ille nexus, istud vinculum,
Quo Te sibi Thalia vinctum tradidit,
Quo Se Tibi favente Phœbo reddidit.
Æternitatem sic satis propitiam
Tibi dedisti literis, qui sanguine
Vulgum relinquis, Candidatus gloriæ,
Longè amplioris, Fama quam tandem dabit,
Et blanda mater, & Camœnarum Chorus;
FELICITER quod auguro, Feliciter!
Sic ergò vive, sic vigesce perpetim.
Inter priores primus, & quotquot juvat
æquare Musis nomen: Umbra non feret
Terrena secum quod Polus poscit sibi.


Diederich Herman
von der Decken
Eques Bremensis.
Ad

Ad nobilissimum Dn. Respondentem, ami-
cum & fautorem honoratissimum.

Fœdera quid profint, quid mercatoria possint,
Bellica quid valeant, Sacra quantum publica rerum
Hæc facies curet, docto sermone docere
Instituis, legesq; addis servandaq; jura,
Zersen, qui clarum ducis natalibus ortum.
Tu decus omne Tuis virtute hæc maeste paternâ,
Et qui jam *mores Comitumq; Ducumq; venustos*
Aulis fecisti notos, ut dignus avorum
magnorum, hoc fœtu ingenii studioq; perenni
Fac, videaris eis: sic semper porta patebit,
Et Tibi majores olim concedet honores.

ita ex animo precatur
Christian Buncfe.
Hamb.





1017


ULB Halle 3
003 007 09X



SP







12262
Foe

N^o 13

1645, 8

15

DISPUTATIO POLITICA
De
FOEDERIBUS,

Quam
Auxilio
D. T. O. M.

Permissu Amplissima Facultatis Philosophicae
MODERATORE

Viro Clarissimo & pereximio,

Dn. M. JOHANN-CHRISTFRIEDO
SAGITTARIO, Scholæ Senatoriæ, quæ Jenæ est, Re-
ctore dignissimo, fautore & præceptore suo
honoratissimo,

Publica disquisitioni subjiciet

Herman Heinrich von Zerffen/
ad diem Octobr,

Horis Matutinis

In Auditorio Philosoph.

PRELO SENGWALDIANO & FREYSCHMIDIANO.
ANNO MDCXLV.